



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Bonfilius Ord. Serv. B. M. V. 8. Septembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

8.Sept. VITÆ SANCTORVM. 439  
testatus epulas, quibus quidem Præsul dixisset  
benè, sed canes accubuissent: se deinceps cum ho-  
minibus cœnaturum. Non multò pōst in Strigem  
offendit, audit incantationibus Pilitrudis filio sa-  
lutem attulisse, invicem ingentia munera abstu-  
lisse. Enimverò jubet omnia in prædam egenis  
cedere, debitaque superstitioni stipendia probra  
& plagas numerat; mox paratas capiti à Pilitrude  
insidias effugit, sed non perinde etiam hæc cæli  
iras. Nam primò filium, mox etiam maritum vitâ  
videt exturbari. Ipsam longum funus vivumque,  
caprivam; Galli abducunt; exulem dein in Italiam  
afellus asportat. At CORBINIANI tumulum suis  
cælum funeralibus ornavit, Frisinga pro Asylo ha-  
bet. Ex tom. I. Annal. Boio.

*Debemus animo premeditari, quod aliquando futuri sumus, quod, velimus nolimus, abesse longius non potest: nam si nongentos vita excederemus annos, tamen nihil esset præterita longitudo, qua esse desisset.*  
S.Hieron.ep.3.

### S. BONFILIUS ORD. SERV. B. M. V.

8.Septembri.

**Q**uid Roma pileum, quid secundū liberta-  
tem vindicias crepas? ego iterum illos laudo,  
qui pulchram servitutem sub Mariæ nomine cir-  
cumferunt. Tu felicissima servitutis cunabula  
audi. Fuit jam olim nobilis inter cives Florenti-  
nos Societas VIRGINI sacra. Hi dum ex more fe-  
stum cælo translatae diem agunt, BONFILIVS pars  
magna & ipse horum, quinique alii faces subdi-  
pectoris senserunt, quibus, ut se totos VIRGINI  
manciparent, inflammabantur. Nec mora, vitam  
opesque veteres cum veste ponunt, & novus ipso

T 4

Natæ

Natæ VIRGINIS die, peculiaris eidem cœtus exscitur, Artingi primò is loci Antistitis, tum Innocent.IV.Pont.Max.auctoritate probatus: cumque stipem colligentes infantes facundo miraculo *Servos VIRGINIS clamitarent*, id hodieque scilicet nomen ferunt. Jam incrementa ordinis promisit vitis, quæ sub vernum tempus sata, mox DOMINÆ luce (quâ Salutatâ ab Angelo colimus) & florem & gemmam adeoque uvam exhibuit. Sed & vestes servis suis Deipara obtulit pullas, quibus & FILIVM patientem & viduam MATREM lugerent. BONFILIO deinde ad pileum voce cœlesti evocato testimonium sanctitatis in vultu splendor, in toto corpore odor dixerunt, & justa hominibus permixti Cœlites illis verbis cecinerunt; *Subvenite Sancti DEI, & exaudite.* Tales exequias servi VIRGINIS merentur, alias sperate qui liberti, qui libertini amatis audire. Ex Ordin. ipsius monum.

*Considera quanta sit dignitas nostra, quantaque nobis proportio sit cum Mariâ: Concepit Maria Christum in carne, deferimus & nos illum in mente. Réficiens Maria Christum, cum teneris labris lac exprimeret uberum, reficimus & nos variis bonorum deliciis operum.* S.Pet.Dam.serm.2.de Nativ.B.V.

### S. AUDOMARUS EP. 9.Septembri.

**C**œpit AVDOMARVS tunc vivere, cùm desit mater; quando nimirum à morte hujus cum patre mori mundo inter Ascetas occipit. Jucundum credo videre cœlo erat, patrem unâ & filium in eadem virtutis scholâ discere, miraculo eò majori, quod ad hanc filius patrem duxerat. Quid jam mirum, si mira alia quam plurima patravit AVDOMARVS, si radiare è ligno crucem, si exsur-

genc